

/ Magnifice Domine,

Non displicet, quod D.V. iterum recudat Controversias meas; sed cuperem emendatae prodirent iuxta correctorium, quod edidi propter corruptissimam Venetam impressionem. Vellem quoque ad initium
5 apponi recognitionem, sed absque errore quodam, qui irrepserat ex lapsu memoriae meae, sed istic a patribus Societatis male correctus fuit, de qua re scripsi ad R.P. Jacobum Gretserum. De Symboli explicatione conversa in latinam linguam, permitto iudicium patribus Societatis, ut videant, si feliciter traducta sit ex idiomate
10 italico in latinum. Illud etiam observandum est, an versio facta sit ex libro Neapoli secundo edito. Nam prima editio Neapolitana legitima est. De libellis adversus Venetos scriptis non est eadem ratio; nam et infeliciter versi sunt, et non expedit hoc tempore illos recudere. Habeo in manibus Apologiam adversus regem Anglorum,
15 quam intra mensem, Deo volente, absolvam. Illa poterit commodè addi ad alia opuscula, quae simul omnia excudi vellem, et eis attribui locum in eo tomo, qui erit brevior. Quando haec omnia impleantur, non aegre feram, si initio addatur, controversias recudi me consentiente. Sciat tamen D.V. recusa esse omnia opera anno superiori Parisiis in folio optimis characteribus, et nunc excudi in
20 octavo Lugduni satis diligenter. Datum Romae 15 Iulii 1609.